



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

VII. De occultanda gratia sub humilitatis custodia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Propter hoc multi in errorem ducentur, & in cæcitatem penè incurabilem quandoque labuntur.

Sit tibi in cautelam & perpetuam humilitatem, ruina hæc superborum de se stultè præsumentium.

C A P U T VII.

De occultanda gratia sub humilitatis custodia.

1. **F**ili, utilius est tibi & securius devotionis gratiam abscondere, nec in altum te efferre, nec multum inde loqui, neque multum ponderare: sed magis temetipsum despicere, & tanquam indigno datam timere.

Non est huic affectioni tenaciùs inhærendum, quæ citius potest mutari in contrarium.

Cogita in gratia quām miser & inops esse soles sine gratia.

Nec est in eo tantum spiritualis vita

vitæ profectus , cùm consolationis habueris gratiam : sed cum humiliter & abnegatè patienterque tuleris ejus subtractionem : ita quod tunc ab orationis studio non torpeas, nee reliqua opera tua ex usu facienda, omnino dilabi permittas.

Sed sicut melius potueris & intellexeris , libenter quod in te est , facias : nec propter ariditatem, seu anxietatem mentis quam sentis , te totaliter negligas.

2. Multi enim sunt, qui cùm non bene eis successerit, statim impatiens fiunt aut desides.

Non enim semper & in potestate hominis via ejus ; sed Dei est dare, & consolari, quando vult , & quantum vult , & cui vult , sicut sibi placuerit, & non amplius.

Quidam incauti, propter devotionis gratiam , se ipsos destruxerunt: quia plus agere voluerunt quàm potuerunt, non pensantes suę parvitas mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quàm rationis iudicium.

I 2

Et

Et quia majora præsumperunt,
quām Deo placitum fuit : idcirco
gratiam citò perdiderunt.

Facti sunt inopes , & viles relicti,
qui in cælum posuerunt nidum sibi:
ut humiliati & depauperati discant
non in alis suis volare , sed sub pen-
nis meis sperare.

Qui adhuc novi sunt & imperiti
in via Domini , nisi consilio discre-
torum se regant, faciliter decipi pos-
sunt, & elidi.

3. Quod si suum sentire magis se-
qui , quām aliis exercitatis credere
volunt, erit eis periculosus exitus ; si
tamen retrahi à proprio conceptu
noluerint.

Rarò sibi ipsis sapientes , ab aliis
regi humiliter patiuntur.

Melius est sapere modicum cum
humilitate & parva intelligentia,
quām magni scientiarum thesauri
cum vana complacentia.

Melius est tibi minus habere ,
quām multum , unde posses super-
bire.

Non

eo cap

Non satis discretè agit , qui se totum lætitiae tradit , obliviscens pristinæ inopiaz suaz , & casti timoris Domini , qui timet gratiam oblatam amittere.

Nec etiam satis virtuosè sapit, qui tempore adversitatis & cujusque gravitatis , nimis desperatè se gerit, & minus fidenter de me , quām oportet, recogitat ac sentit.

4. Qui tempore pacis nimis securus esse voluerit, sāpe tempore belli nimis dejectus & formidolosus reperietur.

Si scires semper humilis & modicus in te permanere , necnon spiritum tuum bene moderare & regere, non inciderestam citò in periculum & offensam.

Consilium bonum est, ut fervoris spiritu concepto, mediteris quid futurum sit abscedente lumine.

Quod dum contigerit, recogita & denuò lucem posse reverti, quam ad cautelam tibi , mihi autem ad' gloriam, ad tempus substraxi.

5. Utilior est s̄epe talis probatio,
quām si semper prospera pro tua ha-
beres voluntate.

Nam merita non sunt ex hoc ex-
istienda , si quis plures visiones aut
consolationes habeat ; vel si peritus
sit in Scripturis , aut in altiori pon-
tur gradu .

Sed si vera fuerit humilitate fun-
datus , & divina charitate repletus :
si Dei honorem purē & integrē semi-
per quārat : si se ipsum nihil repu-
tet , & in veritate despiciat , atque
ab aliis etiam despici & humiliari
magis gaudeat , quām honorari .

C A P U T VIII.

De vili aestimatione sui ipsius in oculis Dei.

1. **L**oquar ad Dominum meum ,
cūm sim pulvis & cinis ? Si
me amplius reputavero , ecce tu stas
contra me : & dicunt testimonium
verum iniquitates mēx , nec possum
contradicere .

Si au-

eo cap